



1. Num Joseph decrevit, fruct. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18-23.  
De edo pui 1 Joh 11, 2.
3. De amictu baptista. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uetu baptista Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curat. Sup monte Mt. 5, 14.
6. De bedros pui cura Eleemosynar. Mt. 6, 2
7. Proterum Amish. Vanitas. Mt. xv, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De curis. Petri & Karp. X. Mt. 16, 13-19. Ineu.
10. Tu es filius dei. uentis. Mt. 16, 16.
11. De claris. Gali. Mt. 16, 19.
12. De autitate. Clav. solv. & lig. Mt. 16, 19
13. De didrachmis & X. solutus Mt. 17, 24 &
14. Supra de opibus uirum. Mt. 20, 1-16
15. Vol. X. congregatum uolentes Mt. 23, 37.
16. Chichitubul. de haecomo Euph. Mt. 24, 14.
17. De ot dagio X. Mt. 24, 28
18. Ager sanguinis Mt. 27, 3-11.
19. Tumba seruatoris. Mt. 27, 60
20. De curi. Judas de. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curi. mortu. p. clari. Sancti. Mr. 6, 13. Juc. V, 14 &
22. De incarnatione Mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria X. preservata.
24. De noie. Iesu. Luc. 2, 21
25. De uenta. absp. pcutu. Luc. 7, 47, 48
26.  $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\theta\iota$  Luc. 8, 13.
27. X. curi. Sabotica. Luc. xv.
28. De Mamona myopite. Luc. xvi, 9
29. De curi. Luc. 16, 9
- ..... Luc. 16, 9.
- De lacrimis X. Luc. xix, 41.
- ..... Luc. 22, 38

du  
R

33  
34.  
35.  
36  
37.  
38  
39  
40  
4.  
4  
4  
4  
4  
4  
4  
4  
4  
4  
5  
5  
5  
5  
5  
5  
5  
6  
6  
6



49.

59

EXERCITIUM THEOLOGICUM,  
Qvæstionem:

AN CHRISTUS JANUIS  
CLAUSIS DISCIPULORUM  
CONCLAVE INTRAVERIT?

exhibens,

Quod

Mat. 20, 19

Sub præsidio

VIRI

*Maximè Reverendi Excellentissimique*

D. VALENTINI ALBERTI, PP.

Consist. Elect. & Ducal. nec non Facult.

Theol. Assessoris longè gravissimi,

*Domini Patroni, Promotoris atq; Præce-  
ptoris sanctè colendi,*

d. XX. Jun. Anni M DC XCIII.

In Auditorio Theolog.

horis consuetis

Publico examini subjiciet

Gotthardt Günther / Cygn.

Resp.

---

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JO. WITTIGAV.



EXERCITIUM THEOLOGICUM

Questionem:

AN CHRISTUS JANUIS  
CLAVIS DISCIPULORUM  
CONCLAVE INTRAVERIT?

exhibens

2<sup>us</sup>

sub praesidio

VIRI

Alberti Alberti

D. VALENTINI ALBERTI PP.

Comit. Elec. & Ducal. nec non Facult.

Theol. Altorf. long. graviss.

Domini Patroni Promotoris atq. Proce-

ptoris Facult. colend.

d. XX. Jun. Anni M. DC. XXII.

In Auditorio Theolog.

hinc constitit

Publico examini iudicior

Goethe's Buchhandlung Cygn.

Relig.

LIT. 21 A.

Typis Vices Jo. WITTIGAN.







## Præfatio.

**D**um tempus appropinquare auguror, quo Alme huic Matri ultimum vale dicendum, in animum non possum non revocare, quantum meis Patronis, qui per stipendia benigne mihi soluta, studia mea laudabiliter promoverunt, debeam, ut, nisi exigua diligentia mea specimine relicto, absque ingrati hominis nota vix urbe excedere hac possim. Quamvis autem id subterfugere, mearum quippe virium haud ignarus, tentarim; Attamen cum Ciceronis, quod Lib. 1. offic. reperitur, iudicium obversaretur quo, censet, Marcum filium annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportere præceptis institutisque Philosophiæ, propter summam & doctoris auctoritatem & urbis, pudore quasi suffunderbar ad applicationem adductus, cum doctorum auctoritas haud minor sit, & Lipsia Athenas quam simillime referat, tempus quoque Marci unicum annum bis excedat: Constituebam ergo mecum vires quales quales tentare, imprimis cum virium defectum voluntas saepenumero complere soleat. Cogitanti de themate, facili negotio tale quoddam temporis ratio objecit, quod quamvis primo intuitu tanti momenti vix videatur, ut magno conamine vindicetur; Attamen cum arduissimam illam doctrinam, nimirum Idiomatum communicationem profundamento agnoscat, sane desultoria levitate adspiciendum haud est, sed cum tanta efficacia, quanta ipsa Communicatio, asserendum & propugnandum. Hoc itaque difficultate sua, tum ob primarios, è quibus enucleandum venit, fidei Articulos, tum ob varias impugnationes, haud destitutum, tamen pro meo, quod à



Supremo distributore concessum, talento qualitercunque enoda-  
 tum PROMOTORES, iique qui de me tum docendo, tum mea pro-  
 movendo studia optime meriti, boni equique ut consulant, qua  
 fas est, submissione precor atque contendo. Quo autem status con-  
 troversie recte observetur, omnisque λογικῆς ἀνὰ πρᾶξιν ἀνὰ πρᾶξιν ἀνὰ πρᾶξιν  
 tur, hunc in limine illico paucis, attamen perspicuis verbis, exclu-  
 sis omnibus, quae huc non spectant, plane pleneque dabimus. Non  
 itaque queritur: An Christus ex utrisque corporis qualitatibus januas  
 clausas transieret? Quod quia verum corpus tolleret, longe ab-  
 hinc remotum volumus. Porro hic questionis scopum non attin-  
 git: An λόγος ἀσώματος tale quid efficere valeat? Sed potius an  
 ἔνσωμος aut θεῶσώματος verum habens corpus? Denique nec hoc  
 primum propugnabimus, quod Christus necessario per januas  
 penetraverit; Cum enim scripturam praeviam non habeamus, ali-  
 quid certi determinare merito nolumus, imo nec nostrum erit,  
 quippe quibus sufficit, quod penetratio facta, cujuscunque etiam  
 illa fuerit, corporis. Resectis ita omnibus, quae statum controversie  
 turbare videntur, recte hic ita se habet: An Christus θεῶσώματος  
 clausis & obseratis foribus conclave discipulorum modo majestatico  
 & supernaturali quoad utramque naturam penetraverit? An ve-  
 ro per fores divinitus apertas, sive parietes, aditum cedendo pra-  
 bentes, modo naturali ingressus sit? Priorem sententiam, Scriptura  
 quippe consentaneam, jure meritoque pro nostra agnoscimus. Poste-  
 riorem verò Reformati, utpote rationi abblandientem sibi vindicant.  
 Ne autem jure nobis dici impingitur, ac si tale quid assera-  
 mus, quod tam cum Scriptura S. pugnet, in qua nec apex de hoc le-  
 gatur; quam contradictionem tum à parte DEI, tum à parte  
 rei involvat, nec consensum orthodoxorum Patrum habeat, Affer-  
 tum hoc nostrum triplici sectione probatum ibimus: In (I) ex tex-  
 tus & Scriptura S. claritate: In (II) ex rei possibilitate: In (III) ex  
 orthodoxorum Patrum consensu. Vergat in Triumphatoris  
 nostri Majestatem!

SECTIO



## SECTIO PRIMA.

§. I.

**T**Extum quod attinet, e quidem fateor, tantam huic lucem inesse, quæ in oculos legentis, vel per transfennam saltem adspicientis se effundit, ut argumentum exinde deducere supervacaneum videri possit. Enimvero cum idem hic accidat, quod tempore Salvatoris nostri, ubi Judæi falsis hypothesebus præoccupati oculis videntibus videre & auribus audientibus audire recusabant; facere non possum, quin è textu ea, quæ fortius stringunt, argumenta adducam.

§. 2. Primum itaque erit à manifesta Spiritus Sancti assertionem, ubi perspicuis verbis perhibet Jesum venisse τὸν Ἰησοῦν κηλεισμένον, Job. 20. v. 19. 26. qui Genitivi Consequentia non nude designant, ceu *Grotius* vult, quod palam fit, ex 2. Reg. IV. 4. Esa. 26. 20. sed majus quid hic important; hinc penitus inspiciendi. Sic autem resolvantur, per particulam *cum* & verbum finitum explicandos esse, vel pueris vix arelotis notum; Sic & *Erasmus*, *Beza*, *Syrus*, &c. aliique verterunt. Duæ autem semper ex enucleatis propositiones emergunt, quarum altera aliquid ponit, altera, quid hujus rei positionem insecutum sit, effert; (hinc & hujusmodi Genitivi Consequentia cognomen sortiti;) *Vid. Class. Philol. S. p. m. 680.* Ut si applicatio in h. l. fieri debeat, ita veniret; (1) fores erant clausæ; (2) Christus erat veniens. Particula autem *cum* vel *dum*, quæ priori propositioni annexenda, hoc involvit, quod sub duratione illius rei, quæ in priori propositione continetur, alterum, posteriori propositioni inclusum, acciderit, nec prius illa desierit, quam hoc effectui datum.

§. 3. His debito modo & cura in hoc nostro exemplo observatis, tria ex ejus natura penitus excussa profluunt, 1) fores fuisse clausas, 2) Christum venisse, 3) in adventu Christi fores mansisse clausas. Ex quo insimul evidenter patet, hos Genitivos non nude circumstantiam temporis exponere, sed saepe numero modum rei (quomodo nimirum, & qua ratione illud in posteriore propositione comprehensum, factum?) accurate satis sistere; quis enim non videt modi delineationem in nostro hoc exemplo? Quando enim quaeritur, quomodo Christus ad discipulos venerit? venit foribus clausis, ita tamen ut fores

F 3

reclu-





reclusæ haud fuerint, sed clausæ permanferint, nec ordinarium aditum admiserint? Vis & in aliis exemplis applicationem hujus fieri? facili datur negotio. Assumamus, v. g. illud quod *Marc. 14. 3. κατανειμένῃς αὐτῷ ἦλθε γυνή.* Ubi itidem adhibitâ hac enodatione tria profuunt 1.) Christum accubuisse; 2.) Mulierem venisse; 3.) In adventu mulieris Christum accumbentem mansisse. Eadem ratio erit reliquorum exemplorum, quæ Genitivos Consequentia vel apud Latinos, Ablativos complectuntur. Structura itaque verborum in h. l. juxta datam rationem exsculpta, talis erit: Quod Christus venerit, cum fores clausæ essent, quodque fores clausæ in ejus adventu manserint.

§. 4. Nunc nisi pro lubitu Canones exegeticos transilire velimus, cogemur, qua fas est, cura in id incumbere, ne sensus literalis à tali verborum structura, sive positione separetur; vel sedulo cavendum: *Ne sensus Scripturæ literalis à verbis Scripturæ separetur;* in quo communis ferè consensus; *Vide Glass. de sens. lit. p. 278. seq. & Bellarm. Lib. III. de. V. D. c. 3. confitentem: cum sensum, qui ex verbis immediate sumitur, certum esse, Spiritus Sancti sensum esse.* Hilarius Lib. 1. de Trinit. Optimus, inquit, lector est, qui dictorum intelligentiam expectet à dictis potius, quàm imponat, & retulerit potius, quàm attulerit. Scharp. Curs. Theol. T. 1. p. 83. *Sensus literalis hic est, qui ex verbis sive proprie sive figurate sumtis nascitur, vel quem voces s. propriae sive figurate præ se ferunt.*

§. 5. His itaque si insistatur, literalis hujus loci sensus potest nullus alius esse, nisi quem dedimus; quippe in ipsis verbis expressus. Quemcumque enim sensum ipsa exhibent Spiritus Sancti perspicua verba, ille est literalis sensus; Atqui quod Christus ingressus sit januis clausis, & quod fores nullo modo fuerint reclusæ, ipsa exhibent Spiritus Sancti perspicua verba; Ergo. Major certitudo huic asserto accrescit, quod bis hanc rem iisdem verbis à viro *ἁγιωτάτω* Sp. Sanctus annotari voluerit, nimirum in v. 19. & 26. Joh. C. XX. Qua & textus claritate ipse *Marloratus* à reliquis discedere coactus, ita in *Cap. XX. Joh. pag. 601.* erumpit: *Quod Christus januis clausis venit ad discipulos, divinæ in illo potentie illustre specimen continet; nam quod putant reseatas illi fuisse fores per aliquem, aut humano more ingressum, prorsus à mente Evangelistæ discrepat. Sic igitur habendum, Christum non sine miraculo ingressum.* Manet itaque quod fores clausæ manserint



rint veniente JESU, & consequenter vi oppositionis nullo modo sint reclusæ.

J. 6. Ex quo cadit eorum sententia, qui januas divinitus cecississe statuunt. Wendel. System. c. XIX. p. 718. *Anne vero, inquiring, januis clausis ingredi non potuit, nisi januas clausas penetrando? Forte creatura creatori cedere non potuit? Sed insuper miror, quod is, qui omnia ad rationem exigit, salva rationis venia ejusmodi quid statuere potuerit; nam clausas mansisse arbitratur fores, & tamen cecississe; quomodo vero hoc potuit fieri? Nisi forsan cessionem ab apertione distinguere velit. Sed arbitror valere, quod ea janua, quæ alicui cedat, aperiatur, & contra; quod e diametro contra textum. Ruit & eorum conjectura, qui putant, januam sponte patuisse: Inter quos Beza: *Vel sponte patuerunt Christo fores, vel &c.* Notis in Joh. c. X. Et Saadeel: *patuerunt per miraculum janua ingredienti; de V. H. N. L. 10. p. 200. ipsius operum.* Et Cornel. Becker in concione *Quasimod.* ubi ita ejus verba: *Vielleicht ist ihm die Klincke der Thüre durch einen Engel aufgeleuchtet worden. Vid. Schlüsselb. Theol. Calv. Lib. 1. pag. 163.* Porro & eorum figmento funus paratur in hunc textum impingenti; Quod nimirum Christus ad januas clausas accesserit, quas dein pulsasset, & sic ingressum petiisset. Sed ad hoc insulsum insuper noto; Terminum QVO, quo Christus, venerit, cum fores clausæ essent, non esse fores, sed medium Discipulorum, in quo stetit, *Luc. 24. 36.* Nec eorum subtilitas peritat, qui in ipsis verbis refutationem quærentes, dicunt: non asseri *Να Ιωανν &c.* Asserit hoc *Wendel. Syst. Maj. Lib. 1. c. 18. p. 728. & Cham. T. II. L. VI. c. VII. §. XIV. p. 107.* Nam respondeo, frustraneum hoc esse, quia Genitivis Consequentia præpositio addi non potest, nec debet. Deinde refundo; Sic hoc nostræ Sententiæ contrariatur, falsum est & illud, ubi per januas cedentes aut apertas ingressus fingitur, quod ipse *Wendelinus* facit: *Et Scharp. Curs. Tb. T. I. p. 1472.* Falsum est & illud *Poli*, quo per fores coarctatas, & in medio divisas, aut rarefactas ingressum sibi imaginatur *Vol. IV. Synops. Comm. p. 1306.* Ulterius nec eorum traditio firmo persistit talo, qui perhibent, Spiritum Sanctum per hanc phraseologiam tantum circumstantiam temporis indigere voluisse, non verò modum rei, quod nimirum vespertino tempore hoc contigisset, quo de januis occludendis quilibet occupatus esset, *Scharp. Curs. Tb. T. I. pag. 1472. & T. II. pag. 814, dicens: Tempus ingres-**



*ingressus per hoc notari, non verò modum rei.* Quamvis Spiritus Sanctus ipse hos in scirpo nodum quærentes antevergens, apertis verbis circumstantiam temporis addiderit: *cum vespere esset, & sic eorum inceptum inane reddiderit.* Huc & Polus: *Clausis foribus, inquam, idem esse possit, quod cum vespere esset.* Sed quis non videt Johannem aliàs in verbis parcum, idem dupliciter hac ratione elocutum; sic enim juxta Polum inconcinnè sonaret: *Cum vespere esset die illo uno Sabbatorum, & vespere esset, venit JESUS &c.* Vid. *Synops. Vol. IV. in hoc Job. cap.* Sed manet nobis, *hoc non solum ad metus neque ad temporis, sed miraculi designationem pertinere, affirmante Nifanio in Comm. in Job. pag. 1165.* & non modo tempus, sed modum denotari concedente *Estio in Annot. ad h. l. p. 1084.* Denique nec hoc illibatum perstat, ubi asseritur: *Cum fores apertæ fuissent, ut duo illi Discipuli (Emauntici) intrarent, Christum cum eis intrare potuisse, nemine presentiam ejus observante;* Polus *Vol. IV. in cap. XX. Job. pag. 1306.* sed *Job.* expresse dicit ingressum factum, & quidem eo tempore quo fores erant clausæ, quo has conjecturas excludat. Dein vide, quomodo in his conjecturis non modo sibi ipsi, sed & aliis sui ordinis contradicat. Antea dixerat: *Miraculum factum aut per rarefactas portas &c.* mox tamen revocat: *In eo non fuisse miraculum, cum enim fores fuissent illis binis Discipulis apertæ, Christum simul introire potuisse.* Ita necesse est ut repugnantia scribant, qui curiosas quæstiones tractant ex conjecturis; utor verbis *Beza in Notis ad Luc. c. XXIV. p. 221.*

§. 7. A nostra sententia ex textus claritate probata (quod nimirum fores clausæ manserint, & si ingressus per has factus non nisi per penetrationem fieri potuerit) ruentibus undiquaque his contrariantibus sententiis, propero progredere pede, ostensurus ex hoc literalis sensu, quod si per parietes aut alia corpora intraverit, itidem non alio, nisi penetrationis modo effecerit. Sed strepitus Adversariorum à tergo quasi insequentium, qui ingressum per januas stantentes, penetrationem tamen omni animi contentione excludere volunt, me avocant, quorum telis cum contra hujus textus claritatem ex rationis pharetra desumpta sint, tanta vis non inest, ut vulnera nimium metuamus; Neque de exceptione adeo solliciti erimus, quia ipsi herbam nobis porrigunt concedentes; miraculum hunc ingressum fuisse.

§. 8. Si



§. 8. Si miraculum fuit, quod vi divina modoque supernaturali productum, cujusque causa nec nota, nec naturalis fuit, affirm. *Wendel. Syst. Lib. 1. c. 24. p. 1019. & Scarp. Curs. Th. p. 407.* cur ex Philosophia rationem hujus, tanto conamine exposcunt? cur ad rationem ceu lydium lapidem dijudicant? *Si Camelus à DEO redigi potest in tantam tenuitatem, ut posset transire per foramen acus, & minus; palam confitente Chamier in Panst. T. II. L. VI. cap. VI. §. IX. pag. 107. Et si tam gracilis per infinitam DEI potentiam effici, quam fieri necesse est ad acus transgressum; Bez. in Not. ad h. l. p. 66.* Cur non corporis Christi quantitas λόγῶν unita, & omnium idiomatum particeps, ita poterit spirituali qualitate indui, ut corpus solidum penetret? Ut hic, sic illic nulla dari potest ratio; ut hoc, sic illud cum ratione pugnat; hic rimantur, illic omnipotentia infinita subscribunt. Crepant enim communiter hic physicas corporis affectiones, ut: localitatem, quantitatem, &c. Vid. *Cham. Tom. II. Lib. VI. Cap. IV. V. VI. seqq. Wendel. Syst. Lib. 1. cap. XIII. pag. 727. seq. Scharp T. 1. de S. Cœn. pag. 1457. seq. Vid. & quæ solide opposita per Meisn. Ph. S. part. 1 p. m. 700. seqq.* Sed respondeo universaliter: De corporibus tantum & nude naturalibus seu ψυχῶν largior vel quatuor si essent, manibus; nego autem de corporibus gloriosis vel glorificatis, quæ quamvis sint corpora vera, Angelicis tamen qualitibus erunt exornata; *Matth. 22. 30. 1. Cor. 15. 40. 41. seqq. Hinc & Augustinus Lib. de cognitione veræ vitæ pag. 45. Tom. IX. Corpus sancti resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate, spiritibus erit æquale, & omne solidum erit ei NB. penetrabile. Et Bonavent. Lib. 4. Dist. 49. Artic. 4. quæst. 1. fol. 624. Corpus gloriosum in suo motu non potest retardari, ergo nec impediri; igitur nil ei resistit; quare omnia alia penetrare valet; si penetrare non valeret, cum possibile sit includi, possibile esset, illud incarcerari, atque ita de statu beatitudinis in statum miseriæ detrudi: Quale & corpus gloriosum Christum consecutum nemo facile inficiabit, idcirco & facile ei fuit hoc effectui dare, ita tamen, ut verum corpus permanserit, nec proprietatibus corporis exutis hoc effecerit. Licet enim corpus Christi (sunt verba Nifanè in Comm. in Johan. p. 1166.) locale & circumscriptum, & omnibus suis determinatum dimensionibus permanserit, illocaliter tamen & sine commensuratione dimensionum suarum ad dimensiones loci adfuit eo momento, quo corpore suo transiit per januas clausas. Deinde ad donum illocalitatis haud quaquam conversio in*

B

Spiri-



Spiritum requiritur, uti Cham. putat T. II. L. VI. Cap. VII. §. XIX. p. 107. sed glorificatio illa, quam Job. XVII. 5. Christus à Patre exorat, in qua petiit secundum eam naturam, secundum quam eorum indigus erat, nimirum humanam, omnia dona infinita & gloriam divinam, quam habuerat secundum divinam naturam, antequam hic mundus esset, inter quæ & erat illocalitas; nunquam autem petiit à Patre in hoc, ut in Spiritum mutaretur, sive ut homo essentialiter DEUS fieret. Repugnat rationi? Respondeo, non potest subjacere natura legibus, à quo legem omnis natura sortitur, dicente Hilario L. IX. de Trinit.

§. 9. Ipse Chamier Tom. II. L. VI. c. XI. §. IV p. 101. talem corporis Christi subtilitatem concedit. Nam cum Cotonus hanc Christi subtilitatem ex egressu è sepulchro clauso, ingressu per fores clausas probasset, excipit Cham. Contigerunt hæc post resurrectionem, quum exorta esset mortalitas, depositusque exinanitionis status; non sequitur autem, si tam subtile, (nimirum ita ut fores penetraverit, ex quo Cotonus subtilitatem probaverat) fuit corpus Christi, semper etiam fuisse (nempe ante statum gloriæ & sic de statu gloriæ concedit. Et L. VI, cap. VII. §. XIX. pag. 107. Ad ingrediendum inquit, per januas clausas sufficiebat subtilitas corporis gloriosi. Accedit in corpore Christi singularis veraque illa idiomatum divinorum communicatio. Si enim attribuuntur talia corporibus aliis glorificatis, multò magis corpori Christi non tantum glorificato & glorioso sed & deificato, non tantum *μενεατινῶ ἀδα γὰρ ἰαίνῳ*: Hinc τὰ ἰσῶερ Φύσις ἐν τῇ Φύσει γρηγοριενα κτ' τῆς θείας δυνάμει ἀδύνατον κτ' τὸν λόγον τῆς Φύσεως πρὸς τὴν ὁμοίωσιν. inquit Justinus Martyr in responsione ad quest. 117. h. e. Hinc fieri non potest, ut eorum, quæ in natura supra naturam divina sunt potentia, ratione naturali adstruatur assertio. Quod & Cyrillus confirmat: Hic nullus, erumpens, querat quomodo clausis januis corpus Domini penetravit, cum intelligat non de homine nudo, ut modo nos sumus, sed de omnipotente filio Dei hæc scribi. Vid. Pol. Vol. IV. pag. 1305. de qua communicatione fusius infra Sect. II. agetur. Hinc patet, quod Christus corporibus physicis nude talibus annumerari nequeat, aut physicis affectionibus circumscribi: Imò injuriosos esse, hoc qui concedere dubitant, in omnipotentiam divinam, ex hoc apertè constat, quippe qui illi limites ponunt, cum tamen DEUS omnia possit, quæ vult, & ea quoque possit, quæ non vult; Damasc. l. I. c. ult. Quamvis nos ipsi ἀδυναμία excipiamus,



pianus, qua laborant, quæ revera contradictionem involvunt à parte Dei, imo & ea, quæ ferè talem contradictionem implicant à parte rei, ut: facere, quo facta infecta fiant &c. Omnia autem alia Deus potest, licet intellectus humanus nec capere, nec intelligere possit; *Eph. III. 20.* Inprimis cum ei omnia possibilia esse Angelus asserat *Luc. I. 37. & Zach. VIII. 6.* Vid. *Phil. Sob. Meisn. part. 1. pag. 1167.* Excipit Chamier sed cum exigua, uti arbitror efficacia, asserens: *Ex Luc. I. 34. nunquam certum esse argumentum ab omnipotentia Dei, nisi præeat, vel facti certitudo, vel certæ voluntatis divine cognitio; l. c. cap. IV. §. 8. p. 103.* Siquidem à nostra voluntatis divinæ ignorantia, ac nostra facti incertitudine ad impossibilitatem Dei N. V. C. Pugnat è diamètro cum Pauli *Eph. III. 20. & Zach. VIII. 6.* effato.

§. 10. Nunc declinatis iis, quibus Adversarii nos petebant, telis, revertimur, probatum daturi, quod si Christus per parietes, aut alia corpora, uti quorundam conjectura, ingressus sit, æque per penetrationem factum. Quamvis sententiæ Adversariorum in tot contrariantes partes distractæ sibi ipsis sponte ruinam accelerare videantur. Quos excusatos cupit *Cham. T. II. L. VI. c. VII. p. 107.* *Non habetur, inquit, in Scriptura, Christum intrasse per januas clausas, nec necesse penetrationem intelligere, quia verba non cogunt, quo minus mirum, variare nostrorum interpretum sententias: Oecolampad. Calvini, Beza, Martyris &c.* Sed magis huc quadrare arbitror illud Poli, quod in *Synopsi Luc. c. 24.* insertum legitur iudicium: *Ego nihil hic (nimirum de voce ἄφωτον v. 31.) dicendum invenio, quod melius sit illo Basilii dicto; τὸ ὄπισθεν ἢ περὶ τοῦ ὀπίσθεν.* Illud quomodo non curiosè querere. Nam dum hæc sex nos detinet, nil fermè, quod aut ad Angelorum, aut etiam ad ejus corporis, quod non immeritò *πνευματικὸν* Paulus vocat, qualitatem pertineat, extra ea, quæ revelata sunt, nisi tenuibus admodum conjecturis, assequi possumus. Quod fibulam deberet ponere nostræ curiositati. Si ita fibulas curiositati posuissent, & Scripturæ revelanti inhæsisent, non in tot sententias prolapsi essent, quarum quasdam adducamus: Beza in *Notis ad Joh. c. XX.* opinatur: *Parietes forsan ei factos pervios. p. 291.* Oecolampadius: *Fortè per fenestram, aut per camini respiraculum intravit.* Martyr in *Dial. p. 95. it. T. II. p. 97.* *Potuisse ipsum ingredi vel per fenestras, vel per tectum, vel undecunque voluerit.* Vid. *Schlüsselb. Theol. Calv. Lib. 1. p. 163. seq.* De quibus optimè B. Chemnitius in *Tr. de duab. Nat. in Ch. c. XXXII. p.*



m. 539. Adeo malunt, potentiam Dei in lignis, in lapidibus aliquid præter naturam efficere potuisse, quam in illo corpore, in quo plenitudo divinitatis habuit. Nam de his ne tantillum in textu tam literaliter, quam consequenter extat, manifesto autem dicitur, quod Christus in medio discipulorum adstiterit foribus clausis, & quod satis evidenter consequitur, non remotis fenestris, aut parietibus, sed more solito permanentibus, & sic penetranter. Deinde si juxta Advers. mentem, miraculum factum non à parte corporis Christi, sed à parte parietum, ingressus per se, & abstracte spectatus factis ordinarius. Quod falsum esse reliqua, quæ sequuntur, argumenta palam dabunt. Si autem ordinarius factus cedentibus parietibus, cur non cedentibus & apertis januis? Quippe quæ ad ingressum ordinario constitutæ, & non ingressus fingendus per parietes, aut fenestras cedentes, multo minus per caminum, uti Oecolampadius somniat. Deus enim non est Deus talis confusionis, 1. Cor. XIV. 33. Quamvis nasutiores Adversarii ab his abstineant, quæ ceu falsa ex reliquis argumentis nostra patebunt, ad quæ progredimur, & quibus probabimus nostram sententiam.

§. II. A terrore Discipulorum & spectri imaginatione ex Luc. 24. 36. seq. Nam Lucas in describenda hac supernaturali apparitione memorat Discipulos maximo terrore fuisse percussos v. 37. dum in eâ cogitatione omnes essent, hunc, qui oculis eorum expositus, esse Spectrum. Sed unde hoc putas fieri potuisse? Nisi (I) Ex hac penetratione. Ita enim argumentor: Qualis est ingressus spiritus in conclave quoddam, talis fuit iste ad Discipulos Christi accessus. Atqui ingressus spiritus nulla forium aut parietum apertione opus habet. E. Major probatur abunde ex Lucæ asserto, ut Solis mensæ exposita videatur. Si enim ordinarius fuisset in se ingressus Salvatoris, & fores fuissent apertæ divinitus, nunquam in tantum tremorem potuissent conjici Discipuli, aut ad hanc opinionem de spectro deferri, quod infra patebit. Imo ipsi oculi, qui nullam aliam, nisi hominis formam & quidem Domini videbant, hoc comprobassent, quippe quod non tam terribilem formam (qualem sæpe spectra assumere solent) oculis Christus exponeret. (II) Spectrum putabant esse, quia instantaneè, & in momento apparebat; quod verò per januæ aut parietis recessionem & succedaneum ingressum, qualis corporibus naturalibus nude talibus per naturam competit, fieri nequit. Ex hoc tale fiat ratiocinium:  
Quicun-



Quicumque Spectrum repræsentavit, ille in momento se visui objecit. Atqui Christus (ex opinione & iudicio Discipulorum) spectrum repræsentavit. E. Major patet ex Spirituum agilitate & penetratione, de qua *Meisn. Ph. Sob. part. 1. p. 1117.*

§. 12. Hanc autem Christi in momento factam apparitionem, ex hac Spiritus imaginatione monstratam, his ulterius probatam do; (1) Ex horrore incredibili, dicuntur *πληθέντες καὶ ἐμφοβοὶ* facti, *Luc. XXIV. 36.* (2) Ex verborum Spiritus S. emphatica positione, ita verba ordinantis; *ταῦτα δὲ αὐτῶν λαλῶντων, αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔση ἐν μέσῳ αὐτῶν v. 37.* Quæ singula verba de hac instantanea præsentatione testantur, ut ii, qui oculis non adspexerint, tamen hanc vivis coloribus depictam hic habeant. Assistebant enim timidi Discipuli, & binos illos Emaunticos reduces mirabilia de Jesu resuscitato, & sibi in panis fractione manifestato narrantes summa attentione audiebant; mox hoc ex gaudio, mox illa ex dubitatione interpellante; Sed inter hæc en! adstat Jesus: (non pulsans ante fores aut removens fenestras, aut per parietes fissos, vel caminum illabens,) sed ἐν μέσῳ. Quis non dixerit hoc per instantaneam penetrationem factum. Sic successive per parietes cedentes, quomodo Discipulorum oculos fugere potuisset? Qui in tanta anxietate ad strepitum foliorum aut crepitum tignorum rapidos ad januam oculos conjiciebant, anxieque circumspiciebant, autumantes furiosos Judæos adesse ac ad supplicium ipsos abrepturos. Hinc & versionis Persicæ interpres transfudit. *Et præ Judæorum metu portam clausam, subito JESUM in medio stantem viderunt.* Et ob hanc tam mirificam penetrationem, tam extraordinariam in momento apparitionem hæc de Spiritu imaginatio ita animis Discipulorum infederat, ut neque amica Christi allocutione, neque alia re excuti tam subito potuerit. Blandissimo allocutione eos excipit Jesus, ut ex sermone Dominum suum agnoscant, repetit solito modo: *Pax nobis v. 36.* Ubi & Syrus addita habet hæc verba: *Ego sum, ne timeatis; quod & Arabem legere, Polus testis est.* At tamen nil efficit, hi adstant trepidantes, fugam quærentes, has anxias secum volventes cogitationes: Non potest non esse Spiritus, quis enim nisi Spiritus fores clausas penetrare potest? Quis tam subito se nobis sistere potest, nisi Spiritus? Verum enim corpus Dominum habere sciebant. Enim verò Dominus, qui non modò fores clausas,



sed & inima cordium penetrabat, pergit comiter eos appellando: Quid turbari estis? Et cogitationes ascendunt in cordibus vestris? v. 38. Licet modo incomprehensibili me vobis manifestarim, ne tamen credatis, me Spiritum esse; videte manus, videte pedes &c. Iplis verò adhuc hæsitantibus & fluctuantibus, cibos poscit, ut experiantur, se verum hominem esse, licet modo Spiritibus proprio se manifestarit.

§. 13. His omnibus quasi in unum collectis ita argumentor: Aut Discipuli turbati fuerunt propter ipsum adventum, aut propter adventus modum; Atqui non turbati fuerunt propter ipsum adventum. E. Minorem probo. Quia jam certi erant de resurrectione. Infallibiles testes fuerant Angeli *Luc. XXIV. 4. Job. XX. 12. 13.* Testis erat Maria Magdalena, quæ resurrectionem pleno asserebat ore, *Job. XX. 18.* Et multis jam verbis Christi resurrectionem & apparitionem non phantasticam exposuerant coram omnibus bini illi Discipuli Emmauntici, v. 35. Imo ante horum adventum, undecim, & qui cum eis, de resurrectione Christi certi, sibique invicem *πνευματικῶν* facturi exclamabant: *Surrexit Dominus ὄντως* verè v. 24. seq. Ita his, quibus jam manifestatus, non poterat adventus Christi terribilis esse, neque illis, qui tantummodo de hoc audierant, quia potius maximo d. siderio ducebantur, ipsum Christum per talem apparitionem ipsis oculis videnti. E. manet, quod perterriti fuerint, propter modum adventus. Hic enim cum respectu corporis Christi mirabilis esset, omnemque rationis sensum excederet, facili negotio sibi spiritum imaginari potuerunt, quia nesciebant tale donum corpori Christi communicatum; nam ignorantia tenebris adhuc involuti Scripturam nondum intelligebant, *Luc. XXIV. 45.* Incredulitate cordis duritieque laborabant, *Marc. XVI. 14.* Imò crassum de regno mundano errorem adhuc fovebant, *Act. I. 6.*

§. 14. Regerant, quos hæc attingunt, quod ipsi repugnantes minus sint, quod miraculum in modo adventus fuerit. At respondeo, illos saltem innuere, id à parte parietis aut forium cedentium, non à parte corporis Christi contigisse: Quibus hoc adversum ire pergo argumento: Aut Discipuli (1) timuerunt, & (2) Spiritum venire putarunt ob miraculum a parte januæ editum, aut ob miraculum à parte corporis Christi patratum. Posterius verum, ergò falsum prius. Falsitatem probo (1) quoad timorem, (2) quia puerillis fuisset timor; antea enim



enim Discipuli talia miracula, & longè majora, quam hoc de januis divinitus patefactis viderant, & tamen nunquam eos perterrefactos, legitur, nisi ubi spectrum sibi imaginati sunt, uti *Matth. XIV. 25. seq.* de quo mox plura; Et (b) sic potius è janna divinitus patente Dominum, seu antiquum miraculorum effectorem agnoscentes nullum timorem concepissent, sed latari essent. Probo (2) quoad imaginationem Spiritus: (a) quia absurda fuisset collectio: Hic intrat per januam aut parietem cedendo apertum, & præ se fert Domini nostri formam, E, est Spiritus; cum potius contrarium exinde pateat. (b) Quia discipuli nescii haud erant, Christum resurrexisse, uti supra datum. (c) quia inutilis fuisset clavorum monstratio, cibi expeditio; nam janua cedendo ingressum præbens de vero corpore testata fuisset. (d) Quia ipsi sine dubio cum desiderio manifestationem universalem expectabant; quod ex *Joh. XX. 20.* colligi potest. Hinc & Nifanius Comment. in *Joh. p. 1169.* *Hac ipsa, inquit, manuum ac lateris ostensione, non tam resurrectionis sue certitudinem probat, id enim alio argumento præstat Luc. XXIV. 44. 46. quam falsam Discipulorum opinionem de viso spectro eximit.* Quid enim facilius esse potuit, quam in hac corporis Christi & quidem veri penetratione apud ignorantes delapsus ad spiritum? Miracula & quidem maxima efficiebat Dominus coram Discipulis, hinc mirabantur quidem, sed quia hæc cum veritate corporis Christi nequaquam pugnare viderentur, ideo Spiritum Dominum esse sibi nunquam persuaserunt. Sic eadem ratione illud sese habet, quod *Matth. XIV. 25. seq.* annotatum legitur miraculum: Cum enim in primo diluculo Christus aquis inambulans ad discipulos accederet, factum ut ipsi, quoniam per hoc verum corpus tolli inani rationis suafu credebant, Spiritum putarent esse, ideoque magno attoniti stupore clamarent. Nunquam autem legitur, quod ob alia miracula huc delati fuerint, ut putarint, Dominum Spiritum esse.

§. 15. Quæ *Cham. T. II. L. VI. c. VII. §. 7. seq.* reponit, tanti momenti non sunt, ut nos ab hac veritate deturbent. Dicit: *ex repentina apparitione nil sequi.* Sed respondeo non tantum repentina erat, sed & instantanea, quia ille, qui ingressus, insinul DEUS verus fuit, & idiomata secum communicata hic exercere voluit. Quod autem §. 17. asserat: *Christum reputatum Spiritum ideo, quia quem discipuli nondum credebant resurrexisse, ne cogitare quidem presentem poterant.* Nego eos,



eos, non credidisse; omnino credebant, licet fides eorum cum dubitatione interdum pugnaret. Quod autem Thomas tam ἀπιστος fuerit, huc non facit, quia in prima apparitione non aderat. *Johannes* dicit discipulos exhilaratos fuisse; Et *Lucas* ne ἄλλο quidem habet, quod discipuli ob ἀπιστίαν de JESU resuscitato dubitarint & timuerint, sed non credebant, quia ob penetrationem, phantasticum adesse corpus putabant. Expresse *Lucas* v. 34. refert: Undecim, & qui cum illis, exclamasse: *vere Dominus resurrexit &c.* Ad quod & *Polus*: *Rs non jam nitebatur solo Magdalena testimonio, sed indubitata erat, ex Luc. Brug. Vol. IV. pag. 1073.* Quomodo hoc cum *Chamieri* ἀπιστία potest stare? Nil addo de ἄγγελος ex *Emaunticorum* relatione v. 35. Quod autem Dominum presentem cogitare non potuerint, nescio cur? Quomodo illi peregrinatores bini cum ex improvise presentem experti erant; sic facili negotio & hic presentem cogitare poterant. Ad exemplum *Petri*, quod *Chamier* paritatis ergo adducit, qui pro *Angelo* habitus, quia credidissent, in carcere constitutum non posse ad ostium stare, Respond. Nullum paritatem hic esse, quia discipuli Christum è carcere mortis aut sepulchro emissum sciebant, uti probatum antea. Si *Petri* emissio ita evulgata fuisset, nunquam hæc de *Angelo* opinio illam familiam subire potuisset, *Actor. 12. 13. seqq.* Sic nihil ad rhombum. Manet ergo inconcussum, Discipulos cum tanto terrore incredulos fuisse in hac apparitione, non de JESU resuscitato, sed de hoc, qui januas clausas modo spiritibus proprio intrasset, an esset JESUS ille resuscitatus? An verò Spiritus? Uti omnes textus circumstantiæ ἐν τῷ ἐγγύθῳ saltem ad spectæ planum faciunt, Quæ de localitate hic iterum urgentur, vid. suprâ jam rejecta.

§. 16. Ulterius quod ad nostram sententiam asserendam & firmandam non minimum tribuit, ab Evangelistis hic adventus ceu planè miraculosus describitur. Inprimis *Johannes*, qui aliàs festinanti calamo miracula annotavit, in hoc prorsus extraordinario tam prolixus est, ut cum talibus circumstantiis sistat, quæ miraculi quasi testes sint, *Joh. XX. 19. 26. Luc. XXIV. 36. seq.* Si autem ingressus ordinariè factus, cur miraculis annumeratus? Et ne ulli dubium relinquatur, additur à *Johanne* in fine: *Multa quidem & alia signa fecit JEsus in conspectu Discipulorum* v. 30. Ex quo indubitato sequitur, se jam unius è talibus mentionem fecisse, ad quod digitum intendat: Ad quod itaque Spiritus S.



ritus S. remittit, illud debet esse in textu præmissum; Atqui ad miraculum &c. E. Ratio connexionis clara, quia *ὑπὸ πνεύματος αἰγίου* *Οεργουεοι* sancti DEI homines 2. *Pet. I. 21.* Ideo eos lapsus calami in-  
 simulare mens pia jure meritoque abhorret. Minor è textu patet. Si verò ulterius progredimur indagando, quodnam illud sit Signum? Sane nullum aliud, nisi hoc momentosum deprehendimus. Rege-  
 runt ii, qui in castris Adversariorum militant, se largiri miraculum factum, ad quod *Johannes* respiciat, sed tale, quale in Petro ex carcere educto referatis januis; *Cham. l. c. cap. VII. § XVI. p. 107.* Sed facile, quo tendant, intelligitur, nempe miraculum contigisse à parte januæ. Sed repono clarum textum. *Johannes* bis dicit fores fuisse clausas; bis etiam dicit: Christum clausis januis ingressum, ita ut clausæ man-  
 serint. Mirari sane nemo non potest, Spiritus S. duplici assevera-  
 tione confirmat fuisse clausas: (Et sic non senserit Christum per aper-  
 tas intrasse necesse est, alias haud clausas dixisset.) Nec discipuli sen-  
 serunt apertas fores fuisse, confitente *Polo l. c. p. 1074.* Unde ergo ii senserunt, qui stant ab altera parte? monstrent unicum apicem, qui sententiæ eorum faveat? Tutiolem itaque, quæ Spiritui S. adhi-  
 betur, fidem arbitror, quam quæ commentis hominum innititur. Si autem aliquis eò confugere tentet, ut aliud, v. g. membrorum clavo-  
 rumque monstracionem, cibi comestionem pro hoc signo obtrude-  
 re conetur: Illi respondeo: Quod si omnia loca Evangelistarum e-  
 volvantur, in quibus hoc vocabulum *σπικρον* cum verbo *πικρον* con-  
 structum invenitur, constabit, semper hoc miraculi significacione ve-  
 nire, modo supernaturali & vi divina producti; *Matth. XIII. 58. XXIV. 24. Marc. XIII. 22. Job. II. 11. 23. III 2. IV. 54. VII. 31. IX. 6. c. X. 41.* Quacunque igitur significacione vocabulum hoc tali constructione adhibitum, semper sumitur, ea & hic valere, infallibili connexionem concluditur. Hinc ad nostram pleno gradu tendit sententiam con-  
 firmendam, relictis de ordinario & circumscripto ingressu partibus.

§. 17. Denique si ipse respicitur finis primarius, ob quem hanc Vi-  
 stor mortis apparitionem instituendam duxit (qui erat ut ex dubitan-  
 tibus certissimos redderet,) necessarium omnino videbatur hanc re-  
 surrectionem ejus miraculo confirmari; Uti enim ignis charitatis,  
 qui sub pectore Christi æstuabat, erga Discipulos flagrantissimus erat;  
 sic aliter fieri vix poterat, quin eorum corda magis magisque inflam-

C

mare



mare omni animi contentione enixus fuerit, Optime enim Salva-  
tor, ut cordium scrutator, perspiciebat, quod fidei scintillæ, sub du-  
bitationem quasi cinere latentes, tantum incrementi haurire nequeant,  
ut in flammis erumpant (præsertim in iis, qui tantum de resurrectione  
ejus audierant) nisi per universalem manifestationem succurreret.  
Itaque Fons charitatis 1. *Job. IV. 16.* Fidei Dux & Consummator *Hebr.*  
*XII. 2.* coram se sistere non intermisit, modo tamen miraculoso, quia  
cum non latebat, quam cupida præprimis gens Hebraica miraculo-  
rum esset, ut nil, nisi per miraculum obsignatum, crederent. Hinc  
ultimum eorum semper signi cujusdam vel superius vel inferius facti  
efflagitatio erat *Matth. XII. 38. XVI. 1. 4. XXIV. 3. Marc. IIX. 11. 12. Luc.*  
*XI. 16. 29.* de quo & Pauli querelæ, 1. *Cor. I. 22.* Quare & ad Discipu-  
lorum tacitum votum, qui miraculis quasi adfueti, se accommodans,  
ingredi voluit, imprimis cum hi pristinorum miraculorum bene con-  
scii, quippe quorum sæpe numero spectatores egissent, facili negotio  
Dominum agnoscere possent ceu ex ungue Leonem, & ad fontem,  
ex quo olim tot tantaque profluxerant, plenariè deduci. Ut enim si-  
lex non nisi vehementer ferro illisus, ignis scintillas emittit; sic cor-  
da Discipulorum fidei ignis spem majorem factura judicavit, terrore  
quodam ex miraculoso viso percussa secundum DEUM contristaren-  
tur, de quo *Paul. 2. Cor. VII. 10. 11.* Fuit ergò partim necessarium,  
partim proficuum ad scopum Christi miraculum; Quod autem non  
à parte forium, sed à parte corporis Christi factum, supra fufius pro-  
batum. Objicitur à *Scharp.* hoc miraculum cum fine Christi pu-  
gnasse, *Curs Theol. T. I. p. 814. & T. II. p. m. 1472.* Alii respondent  
factum ad divinitatem declarandam; Alii ad corpus glorificatum,  
demonstrandum; Alii propter infirmitatem Discipulorum, ad quos,  
si apertis januis ingressus fuisset, Judæorum aliquem ingressum pu-  
tassent. *Maldon. in c. XX. Joh. col. 989. Tarnov. in Joh. p. 4001.* Ve-  
rum si aliquid addere liceat; Resp. Quod si per finem *Scharpius* a-  
liique indigent ablationem, *ἀμίστα*, nego hunc finem Christum  
habuisse, quia Discipulos, Resurrectionem Christi credidisse probat  
*Lucas XXIV. 14.* uti *supra.* Si verò totalem ablationem dubitatio-  
num, Discipulorum fidem impugnantium, pro fine hoc assumas, ge-  
nuinum hunc esse, & cum hoc miraculoso Christi adventu minimè  
pugnantem autumo.

SECTIO



## SECTIO SECUNDA.

### §. 1.

Secundum, quo suffulcitur nostra sententia, est rei possibilitas; quo autem ordine hæc demonstratur (I) per solitum ejus fundamentum rem totam explanabimus: (II) Exemplis idem in corpore Christi factis declarabimus, & (III) Similibus illustrabimus.

§. 2. Fundamentum itaque primum sibi locum vindicabit, quo solide & rite jacto, quæ superstrui debent, facillima erunt. Quo autem hoc sua, qua debet, firmitate gaudeat, omni studio in id incumbamus, ut, Christo docente, nostra structura Petræ unice innitatur, quo dein excitato turbine, & qua data porta, ruente, securi à jactura esse possimus, aliis, qui secus fecerunt, ruinam cum gemitu deplorantibus Matth. VII. 24. seq. Hoc est: Verbo Dei in hac ardua re unice insistamus, quod utramque hic paginam facit, quia in æternitatem ut petra permanebit Esa. XL. 18. unica veritas est Joh. XVII. 17. Ideo nos ruinæ exponere nequitiam poterit. E contra nullam rationis curam geremus, cum cæci à cæcâ ducantur Luc. VI. 39. & in foveam præcipitentur, necessum est, qui in mysteriis & fidei Articulis ad eam ceu ad lapidem probatorium confugiunt.

§. 3. Fundamentum autem possibilitatis hujus penetrationis est realis illa idiomatum communicatio, ex Hypostaseos divinæ communicatione & naturarum unione proficiens. Cum enim in plenitudine temporis Filius DEI humanam naturam ex massa sanguinea, omni labe purificata, & in utero Mariæ à Spiritu S. ut ita dicam, extracta Luc. I. 35. in suam divinam hypostasin assumeret Gal. IV. 4. Joh. I. 1. duæ hæ naturæ licet vinculo arctissimo unitæ suam quælibet essentiam reservarunt distinctam licet, non disjunctam; verè enim divinitatis hypostasis facta quoque hypostasis humanatis, licet in modo habendi differentia intercedat, & duæ illæ naturæ neque in simplicem essentiam, neque in compositam coaluerint, sed Christus duarum naturarum unitarum, nec diversus ab iis realiter, ex qua unione totum illud promanat, quidquid humani de Deo, & quidquid divini de homine Christo creditur & intelligitur, F.C. p. 607. & 765. Duo enim ex hac Hypostaseos τὸ λόγῳ communicatione ceu rivuli fluunt, tum naturarum arctissima unio, tum (& quidem mediante



unionem) Proprietatum vera ac realis communicatio; *F. C. p. 766.*  
 Ob illam cum in profundissima naturarum ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως,  
 & ἀδιατάτως unitarum περχωρήσει constet caro θεωθεϊσα & λόγος  
 ἐνσαρκωθεϊς à Patribus orthodoxis appellatur, & propositiones per-  
 sonales (quod Deus sit Homo, & Homo sit Deus) certissima veritate  
 nituntur, *F. C. 607.* Hinc & Maria non nudum duntaxat hominem, sed  
 verum Dei Filium, & sic personam compositam, unitivè, non alterati-  
 vè, concepisse & genuisse dici potest. *F. C. 607.* In qua unice Scriptu-  
 ram præviam sequimur Matth. XVI. 16. XXI. 4. Luc. I. 32. Rom. I. 3.  
 Ob hanc personalem unionem divina natura idiomata sua naturæ  
 humanæ communicavit, ut humana natura revera & propriè, attam-  
 en ex gratia, divina idiomata possideat, quæ semper divinæ naturæ  
 propria manent; & divina natura sibi omnes eas humanæ naturæ  
 proprietates, quibus ad opus meritorium perficiendum opus habuit,  
 realiter & sine tropo attribuit. Quod omne absolvitur partim per  
 ἰδιοποίησιν, quando idiomata alterutrius naturæ toti personæ attribu-  
 untur; Partim per μεταποίησιν, quando ἀνχίματα humanæ naturæ  
 communicantur Col. II. 9. Joh. VI. 55. Matth. XI. 27. XXVIII. 18. Par-  
 tim per κοινοποίησιν, quando ad ἀποτέλεσμα producendum, utraque na-  
 tura, quod suum est, debito modo contribuit. Quorum istud primum,  
 illud secundum, hoc tertium genus communicationis audit.

§. 4. Ne verò hanc sanam doctrinam ceu cerebelli nostri opus  
 sibi obrudi jure quis conqueri possit, hanc è S. Scriptura probatam da-  
 bimus, omnique dubio exuemus. Cuicumque per unionem com-  
 municata est hypostasis *Eph. 4. 5. πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Col. II. 10.*  
 ut esset organum τῆς λόγου conjunctum ad perficiendum opus meri-  
 torium *Act. XX. 18. Hebr. IX. 22.* ut res omnes gubernaret *Eph. I. 2.*  
 Illi & omnia idiomata sunt communicata. Atqui humanæ naturæ &c.  
 E. Sic cui omnipotentia est communicata *Matth. XXVIII. 18. Job. XVII. 2.*  
 collato cum *v. 5.* Omniscientia; quomodo enim alias judicium παντο-  
 κρητικὸν posset peragere? *Col. II. 3. Job. XVI. 30. XXI. 17.* Cultus ado-  
 rationis gloriosæ, *Phil. II. 9. 10. Hebr. I. 6.* Omnipræsentia, *Matth. XIX.*  
*20. XXVIII. 20.* Illi & communicata vis penetrandi per fores clausas.

§. 5. Hic catervatim veritati & nobis bellum paratur, clamita-  
 tur: Tolli sic veritatem corporis Christi; Propria non posse com-  
 municari &c. vel, si planius dare liceat, nullam Rationis curam ha-  
 beri.



beri. Ast quam obtusum in hac pugna hoc telum sit, plurimi No-  
stratum palam dederunt. Vid. B. Meisn. Phil. Sob. part. I. p. 68. seq.  
Ad ea supra hinc inde inspersa hucque facientia addo saltem hæc  
paucula: Quod nulla plane consequentia sit: Rationi hoc contra-  
riatur, E. non est verum, cum hæc in divinis cæca sit 1. Cor. II. 14.  
15. seq. III. 19. seq. Idem esset, ac si quis, qui ob ingenium obtusum  
Metaphysicas aut Pnevumaticas subtilitates capere non valeret, eas ceu  
falsas abjicere vellet; Aut cum Venerando Trinitatis mysterio ta-  
lem processum instituere. Nonne talis cum suo hoc nimio ratio-  
nis in divinis mysteriis indultu (1) in religionem Christianam, imo  
Deum ipsum injurius censendus? Quia Deo loqvendi dicto audiens  
esse recusat, nisi abblandiantur rationi, cum tamen mysteria creden-  
da sint, ut intelligantur, non verò intelligi, ut credantur; *ἢ* *ὅσα*  
credimus *τὰ* *ὄνομα*; cur non Deo *τὰ* *θεῖα*? Ipse de se prædicat,  
sibi impossibile nil esse Luc. I. 37. Eph III. 20. Revera tales certis na-  
turæ legibus Deum alligare tentant, licet à se suisque remotum hoc  
cupiat *Beza in Not. ad c. XIX. Matth. pag. 66.* (2) Injurias est in ipsam  
Philosophiam, plus ei tribuens, quam præstare queat, Dominæque  
eam associans, cum tamen ab ipso Deo Serva sit constituta, quæ in  
Articulis fidei mirari, non rimari debeat, ut absolutæ obedientiam  
præstet, non præscribat, 2. Cor. X. 5. Quidquid itaque consentaneum  
erit Scripturæ, licet strepitus atque susurros ratio moveat, maneat  
nobis illibatum; sufficit, quod rem sciamus, licet modum rei nescia-  
mus. Non nescio, Adversarios subinde nobiscum consentientes vi-  
deri, sed saltem ore, corde & praxi longe remotos. Unus vel al-  
ter saltem prodeat, qui hoc probet: Wittaker, in præf. contr. de Sc.  
*Humane*, asserens, *rationes & testimonia, si quis eis nimium & præpo-  
stere utatur, instar sunt armorum Saulis, quæ Davidem non modo non  
adjuvant, sed ineptionem ad pugnandum reddunt.* Et Sadeel. de Verit.  
H. N. pag. 89. *De divinis mysteriis non est ex Philosophorum regulis pro-  
nunciandum.* De his eorumque similibus usurpo illud tritum:

Odi homines ceu claustra Erebi, quicunque loqvuntur

Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore condunt.

§. 6. Sed nos revertimur, & fundamento hujus nostræ senten-  
tiæ secundum S. Scripturam jacto, pergimus ad exempla, quibus ea-  
dem ratione modoque in corpore Christi factis orthodoxiam decla-



ratum ibimus, in quibus apud Patres & nostros quosdam Theologos primo loco positum deprehendimus, quo Christus ceu infans clausum Mariæ uterum penetravit, ut cum Patribus Selneccerus, Meifnerus, &c. Sed cum Nostrates in contrarias scindantur partes, & plures a partibus negantium stent, cum fidei Articulus non sit, nec ejus aperta declaratio in S. Literis reperiatur, huic ceu liti adhuc sub judice hærenti diutius non immorabor. *Krom. Th. Pos. p. 203. Vid. & Cham. L. IV. c. III. p. 56.*

¶. 7. Sed relicto hoc, ad nobis certius patefactum exemplum pergimus, quod omnium orthodoxorum calculis comprobatur, nimirum descensus ille ad inferos, quo Christus post *ζωομίαν* secundum utramque naturam ad infimas terræ partes profectus *Eph. IV. 9. 10.* Inferno & Diabolo insultavit *Os. XI. Col. II. 15.* Spiritibus in carcere prædicavit *Pet. III. 18. 19. seq.* Vid. *Broch. Syst. p. 561.* Si autem hic descensus proprie à tota persona institutus ad Satanam debilitandum &c. *F. C. p. 788.* modo miraculoso & nobis incomprehensibili per penetrationem factum necesse est.

¶. 8. Urgent ii, qui adversis adhærent partibus, impropriè hunc descensum accipiendum venire, quia per illum cruciatus ejus in passione longe maximi exquisitissimique indigentur, *Cham. T. II. L. V. c. XI. seq. Beza in Notis ad Act. 1. p. 301. Scharp. T. I. pag. 861. Wendel. Syst. c. XVIII. p. 717.* Porro: Abfuisse olim hæc verba *descendit ad inferos,* in Symb. Orient. & Rom. Eccl. it. Apostolico, ut *Vossius Disp. de Trib. Symb. è Ruffino p. 26. Usserius de Rom. Eccl. Symb. Apost. vetere. p. 8.* Ast neutiquam sequi arbitror: Hic Articulus in hoc l. illo Symbolo non extitit. E. nullibi. Multi Artic. in Symb. vulgo Apostol. non extant, ut de Justificatione &c. E. non sunt. Vid. *Brockm. fusius pugnantem T. II. Syst. p. m. 361. Sic apud alios omissa vitæ æternæ mentione in carnis resurrectione terminatum fuisse Symb. Apost. ex Hieronymo & Ruffino intelligitur. Quæ Usserii verba sunt p. 7.* Quis vero dubium vitæ æternæ statum exin excitare vellet? Liceat hic paulo prolixius procedere, quia ipsa res negatur, & locos primarios vindicare. Ad dictum *Eph. IV. 8. 9.* *Beza* regerit, illud intelligi posse de Filii Dei descensu in uterum Mariæ ex illa phrasi Davidica *Pf. 139. 15.* ubi per *בְּתַחְתּוֹת אֶרֶץ* uterum matris innuit, ut descensus vox metaphoricè idem esset ac incarnari. *In Notis ad h. cap. Eph. p. 581.* Cui subscribit



bit *Cham. c. VI. L. V. §. VI. p. 79.* Sed noto (1) Si ille, qui descendit, etiam ascendit *v. 10.* sequitur quod *λόγος ἀσάρτου* hic descensus attribui nequeat, quia Christus quoad humanam naturam ascendit; Sermo enim est in hoc descensu non de incarnando, sed de incarnato, cujus benignitatem Apostolus celebrat *v. 7.* qui & varia distribuit dona *v. 8. 9.* Hinc & *B. Glassio* commodius de intimâ Christi humiliatione & exinanitionis statu exponi videtur *Rhet. S. p. 278.* (11) Notamus tam per descensum, quam per ascensum gloriam notari & majestatem, quæ ratione *τὸ* ubi saltem distinguitur. Vid. *Disp. Hülf. de Desc. ad inf. §. 24.* Hinc sibi non opponuntur, uti *Bezæ* & aliis videtur, verum saltem ratione modi discrepant, quo se Christus manifestavit; ibi enim in descensu se majestaticè stetit inferis ad terrorem incutiendum; hic in ascensu plenarium Majestatis communicatæ exercitium huc usque detrectatum ad dextram Patris evedtus exeruit. Quod & *Flacius in 1. Part. Clav. p. 453* dissimulasse videtur, dum ex h. l. ita insurgit: *Quod gloriosa ascensionis opponitur, non est gloriosum.*

§. 9. Dictum *1. Pet. III. 18. 19.* obscurissimum uti à *Beza in Notis p. 709.* & *Cham. l. c. cap. 7. p. 80.* appellatur (quod haud mirum, qui enim rem negat, de verborum obscuritate conqueratur necessum est; ) *Beza* explicat, *ac si predicatio filii Dei innuatur, qua mediante Noah hominibus arcam extruentibus, quorum Spiritus nunc infernali carceri inclusi lamentarentur, pœnitentiam annunciari ea virtute curasset, qua postea resurrexisset.* Cui iterum annuit *Cham. c. VII. p. 709.* A quibus tamen alii mirum in modum discrepant, uti & Angli *Job. Edvard* superiori anno publicata de h. l. disquisitio, cujus excerpta vide sis in *Act. Erud. mens. Febr.* hujus anni. Alias sententias si scire cupis tum antiquorum tum recentiorum, adi Tom. VIII. LL. Gerh. p. 311. seq. & *Hülf. Disp. de desc. ad inf.* quorum ille VIII. hic ferè IX. discrepantes sententias sistit. Nobis verò hic si non ultimæ autoritatis Theologos sequi liceat, de descensu Christi commode hunc locum explicari posse, contra Adversarios existimamus. Reperatur: Nomen *Φουλακῆς* pro inferno vix sumi; Resp. Ipse *Beza* sensu hoc adhibitum vult. Dein Spiritus S. ita *Apoc. XX. 7.* usurpat; confer *Matth. V. 21.* hinc in inferno *Syrus* transtulit. Trahitur in dubium, vox prædicandi? Resp. *κηρύσσειν* denotat quamcunque denunciationem sive fiat ad terrorem sive ad solatium; hinc *Marc. V. 10.* pro e-

vulgare,





vulgare, publicare, sumitur, ut idem hic sit, ac si Christus in inferno cum Majestate victoriam de diabolo & peccato reportatam ad terram publicè annunciaverit & publicaverit. Ideò & *Glassius*: Prædicare hic idem esse, ac præsentia convincere & redarguere; *Gramm. S. p. 277.* Quæritur de causa, cur Apostolus ad descensum ad inferos delabatur? Et in credulo tempore Noë, non verò omnes Christum arguisse dicat? Resp. Scopum Apostoli non aliter permittere, qui non ex professo de hoc Artic. hic agit, sed saltem incidenter. Totus enim in Antecedentibus fuerat Apostolus in commendanda patientiæ virtute, & tum tacite eam Auditoribus propinarat, tum aperte ad eam adhortatus fuerat *v. 9. usque ad 17.* Ut hoc facilius obtineat, argumentum petit ab insigni Dei patientia, quam bifariam decantat, tum in ipsa persona Christi, qui pro impiis etiam mortuus *v. 18.* tum in personis impiorum, quos mira Deus patientia toleret; hoc autem per exemplum facere vult, cujus evidentius nullum adducere scit, quam illud hominum ante diluyium, omnem hæc Dei tolerantiam respicientium, quam per ducentos & viginti annos prolongatam ipse Christus etiam in suo ad inferos descensu illis non potuisset non ad horrorem usque exprobrare *v. 19. 20.* Quia per hanc saltem VIII. animas lucratus esset. Dicant, *ἄνευ δεικ* cum penetratione pugnare? Resp. Vulgarem esse *ἀνευδεια*, de qua supra. Hinc nil impedit, quo minus actum instantaneum per penetrationem factum sistere queat, quia homo, qui simul Deus est, hunc peregit.

*v. 10.* Porro illustre exemplum talis penetrationis corporis Christi reperitur in resurrectione; cum enim corpus Christi post mortem ejus à Viris quibusdam bonis honorificè sepulchro conderetur, ipsi, ne læsi vulneratique undiquaque corporis Christi militibus effrenatis ulterius copia esset, magno conamine lapidem ingentis molis advolvi curarunt, quo aditus ad sepulchrum excluderetur *Marc. XV. 46. Luc. XXIII. 55.* Imo verò subdola Pharisæorum Scribarumque turba, de morte Christi malè sibi conscia, cum catervatim ad Pilatum se conferret, rogans, ut sepulchrum muniatur, ne à Discipulis nocte ablatum resurrexisse dicatur, facilique negotio petium obtineret, majori conamine lapidem advolutum obsignavit, & non modo lapide uno intus, cui inclusum exanime corpus Christi erat, sepul-



sepulchrum obstruxit, sed & alio mirandæ magnitudinis aditum ex-  
clusit, de quo duplici lapide vid. *Pol. Vol. IV. p. 655.* Et tamen Chri-  
stus hoc sepulchrum lapidibus obtectum corpore suo penetravit (1)  
quia remotionis horum lapidum vel à Christo, vel ab aliis ante re-  
surrectionem factæ nulla in S. Scriptura fit mentio; (2) neque talis  
ab intentis vigilibus observata; (3) ab Angelo remotio lapidum post  
resurrectionem facta.

§. II. Regerunt, quibus hæc sententia fides in oculis est, An-  
gelum cælo delapsum lapidem devolvisse; *Calv. Inst. l. 2. c. 17. §. II.*  
*Scarp. T. I. p. 816. Wendel. Cb. Theol. p. 727.* colorem suæ sententiæ ex  
Matth. 28. 2. facturi. Sed respondeo: Ibidem legi, Angelum descen-  
dissse, lapidem devolvissse, sed non ut Christo egressus fiat, sed ut mu-  
lieribus ingressus aperiatur; de illo ne apex in textu; hoc probo ex  
Marc XIII. 3. ubi advenientibus mulieribus lapis nondum devolutus  
dicitur; animo enim mulieres angebantur de provolutione lapidis.  
Imo ipse Calvinus sibi contrarius fatetur; *Christum è sepulchro exiis-  
se, antequam ad sepulchrum Angelus accederet. Harm. Evang. p. 436.*  
Et *Marloratus in c. XXIX. Matth. p. 226.* Imò *Euthymius*, multiq; cum  
eo Patres, inquit: *Surrexissse Christum antequam Angelus descen-  
deret.* Quod & *Cham.* confitetur, quando dicit: *Autoritatem hanc  
sententiam mutuari à Veteribus, quorum talis fuit sensus cui pergit, e-  
quidem nolim valde repugnare, T. II. L. VI. cap. VII. §. 23. pag. 107. 108.*  
Et *Polus* de hoc Angeli post resurrectionem accessu convictus, inquit:  
*Potuisse Christum subito lapidem removere & rursus adhibere, sicut An-  
gelus aperuit ostium carceris; Actor. V. 19. quod tamen oclusum in-  
ventum; Vol. IV. p. 655.* Sic concedit Angelum non removissse; Re-  
motioni verò, quam statuit ab ipso Christo factam, oppone illud ad  
Rom. I. 4. ubi Paulus declarat: *Christum per suam resurrectionem  
se declarasse cum potentia DEI Filium.* Per quid vero aliud, nisi per  
miraculosam revificationem & sepulchri penetrationem? Dein quid  
ego respondeo? *Polo* aliisque ipse respondet *Chamier*, confitens: *A  
resurrectione corpus Christi habuisse subtilitatis dotem, quam habitura  
sunt etiam omnium fidelium corpora in regno DEI, adeo ut spiritualia  
dicantur ab Apostolo, quæ autem ita sunt subtilia NB. facile penetrant.*  
Cum hoc expostulent, si quid incommodi hæc sententia habere ipsis  
videtur, *Cham. T. II. L. VI. c. VII. §. 22. p. 107.*

D

§. 12. Ne-





§. 12. Neque minus huc quadrare arbitror quod à *Luca c. 24.* prolixius literis consignatum legitur, ubi Christus ante Discipulos invisibilis factus, vel per fores, vel per parietes penetravit. Nam cum bini illi peregrinatores Emauntici sub incognita persona itineris socium nanciscerentur, & nocte appetente diversorium inirent, huncque viæ comitem, insimul & noctis socium expeterent, en! sub panis fractione in diversorio agnitus ἀφαντος ἀπ' αὐτῶν fit. Fores erant dubio procul clausæ, quia frigus erat, *Joh. XIII. 18. Marc. XIV. 67. Luc. XXII. 55.* Imo Discipuli Christo propius accumbebant; nam ex dissertatione, qua in via Scripturam interpretatus erat, tanto ejus audiendi studio erant incensi, ut quilibet ei proximus esse discuperet, inauditam ejus demirans Suadam, & tamen ἀφαντος fit, quomodo? nisi per invisibilitatem & penetrationem.

§. 13. Reponunt, qui in partibus contrariis militant, nullibi dici, quod miraculum à patre corporis Christi contigerit, quia hoc celeriter à conspectu subductum, alioque translatum Discipuli conspiciere non potuissent. Sed respondeo: Si hoc naturaliter à parte corporis Christi factum, potuisset non subterfugere oculos Discipulorum proximè ei accumbentium; ratio hujus patet, quia 1) oculi Discipulorum fuerant aperti, h.e. inter corpus Christi & oculos eorum talis proportio concessa, & impedimenta ablata. Vid. *Gerh. Herm. Ev. b. l.* 2) Discipuli etiam ipsum, licet corpus glorificatum habentem, realiter viderunt, & agnoverunt. E. & vidissent assurgentem, exeuntem, fores aperientem & quidem iisdem oculis apertis; Apertio enim oculorum & agnitio cum actu evanescendi immediate à Luca connectuntur, *v. 31.* Quærunt latebras in vocibus ἀφαντος & ἀόρατος, dicentes ἀφαντος factum, non ἀόρατον. Sed hoc incassum arbitror esse. Si enim τὸ ἀόρατον neget actum τὸ ἀφαντος, differunt ut latius & angustius, tunc omne ἀφαντος est ἀόρατον, sed non contra; Si autem τὸ ἀόρατον neget potentiam τὸ ἀφαντος, specie diversa sunt; nam Spiritus ἀφαντος non possunt dici, & corpora (exceptis iis, quæ sunt ἀόρατα) ἀόρατα dici nequeunt. Vid. *Disp. Schroed. de O. C. & S. manducatione.* Cui subscribere videtur *Charnier T. II. L. VI. c. III. §. X. seq.* dum ex Bulengero adducit descriptionem: *Ἀφαντος esse, quod videri non possit, dum patitur.* Sed distingvit dein inter id, quod videri non possit per naturam & in se, vel per accidens & ab alia causa, &



fa, & arripit posterius, quod tamen cum penetratione pugnans, ne-  
 gamus. Chamier vult suam sententiam probare tripliciter, cui & tri-  
 pliciter respondemus: (1) Probat, quia dicitur ἀφ' αὐτῶν, ἀφ' αὐτῶν,  
 non ἀπὸ αὐτῶν, ubi illud non possit significare nisi motum à loco & subtra-  
 ctionem ex oculis localem. Resp. Luc. II. 15. & alibi de Angelis legi-  
 tur, quibus tamen motus à loco adscribi nequit. Dein Hebraica est  
 locutio, quæ non semper motum localem includit. Sic vox ve-  
 niendi de D E O usurpatur וְיָבֹאוּ אֵלֶיכֶם veniam ad vos Exod. XX. 24.  
 Luc. I. 35. πνεῦμα ἀγίου ἐπιλεύσεται ἐπὶ σέ: Spiritus S. veniet super te,  
 & juxta Arabicam versionem: descendet super te. Vide Glassii Ph. S.  
 Tr. I. c. VII. p. m. 1149. Quis verò ex hoc Deo motum à loco adscri-  
 bet: Hoc & Polus calculo suo probat, dicens: Illud mihi liquet,  
 non satis aperte ad definiendum hujus rei modum adferri illud ἀφ' αὐ-  
 τῶν, quasi ὁμοίως utique designet, cum multò sit probabilius, genus esse  
 loquendi ex Hebraismo desumptum; Vol. IV. p. 1074. Loca & annotat  
 ex Hebraica lingvâ p. 1016. Enimvero hoc stante, quid Beza? Qui  
 in suis ad h. l. notis loci mutationem infallibiliter concludens, erum-  
 pit: Ubiquitarii certè ne apud se sunt, cum ex h. l. corpus Christi ex-  
 emptâ circumscriptione, vel omnibus, vel pluribus simul locis essentiali-  
 ter adesse somniant, p. 222. (2) Vult probare Cham. quia à Syro trans-  
 latum: & ipse ablatum ab eis: sicut Boderianus reddidit; Quo locum  
 mutasse ipsum innuere voluerit. Sed quis non videt Syrum hic  
 illud Hebraicum idioma respexisse, de quo jam diximus. Psal. LI. 13.  
 Ubi iisdem fere transtulit, quod juxta Bb. Anglic. versum: Et Spiritum  
 S. tuum ne sumas à me. Quis verò hic loci mutationem Sy-  
 rum innuisse concludet? Hinc & in lectionibus Evangelic. Hutte-  
 ri, cui Hebraica versio inserta invenitur ea phrasis, quæ de Angelo  
 evanescente coram Manoah legitur, Jud VI. 21. Dein repono Sy-  
 riacæ versionem longè plures, quæ palam à nostris stant partibus, ut:  
 Vulgatam: Evanuit ab oculis eorum. Veterem adjectam interpreta-  
 tioni Bezæ: Evanuit ex oculis. Persicam: Et ab illis disparuit. Æthio-  
 picam: Et evanuit ab iis statim, & indiguerunt eo. Gallicam: Il se  
 disparut de devant eux. Ipse disparuit ab oculis. (3) Suam firma-  
 re vult sententiam Chamier ab usu græco, apud quos ἀφανής, ἀ-  
 φανίζω ἢ ἀφαντός, fere usurpetur non de iis, qui invisibiles facti ob  
 originalem qualitatem, aut per se, sed quæ fit per absentiam rei, quæ a-



hās, si præsens esset, non posset non videri. Respondeo ipsum confite-  
ri, hoc universale non esse. E. non ubique applicabile. Autores Gen-  
tiles, quos adducit, concedo, eos de hac invisibilitate nostra Spiritibus  
naturaliter competente scribere multum haud potuisse, cum de hac mi-  
nimum vel prorsus nil sciverint. Dein *Cham.* per hoc vult ἀφαντων  
idem esse, ac celeriter corpus esse traductum aliò, quod tamen cum de-  
finitione vocab. ἀφαντος pugnare videtur: ἀφαντων enim factum di-  
citur illud, quod cum conspiceretur, & abire non conspiceretur, dere-  
pente conspici desit. Quod autem celeriter alio traducitur, etsi tradu-  
ctum non conspiciatur, quia tamen traduci ab oculis præsentibus &  
intentis, quales Discipulorum erant, conspicitur, cum visio ἐπιτελεσθῆναι  
fiat, ἀφαντων fieri dici nequit. Vid. *Schroed. alleg. Disp. §. 33.* Manet ergò  
invisibile corpus Christi per se, gratia tamen unionis, factum, & sic  
nemo penetrationem in dubium vocabit, cujus gratia hæc adducta.

§. 1. Denique quod colophonem addit, haud minimum fa-  
cere videtur, cum Christus eodem modo mirifico cœlos in ascensio-  
ne penetraret. Licet enim non negemus, Christum usque ad nubes  
in aspectu Discipulorum elevatum fuisse successivè, ab his tamen  
instantaneè (secundum præsentiam visibilem) in ipsum πᾶσι Beato-  
rum penetravit. Probo hoc ex probatione Petri, qui Christum dex-  
tera DEI h. e. potentia & majestate exaltatum asserit *Actor. II. 33.*  
Quod sane de successiva, naturali & locali ascensione dici haudqua-  
quam potest. Porro probatur ex Davidis effato, qui modum hujus  
ascensionis daturus sub imagine currus per millia millia Angelorum  
quali tracti depingit *Pf. LXIIX. 18. 19.* qui sanè localiter non moventur,  
sed penetrando. Plura vid. in *Broch. de Asc. Ch.* Manet ergo, nisi ab-  
surdum velimus defendere, Christum à nubibus modo Majesta-  
tico & supernaturali sine nullo temporis intercessu in πᾶσι destina-  
tum fuisse receptum, & per consequens omnes cœlos alios ma-  
teriatis & visibiles penetrasse; quod comprobatur dictum ad *H. br.*  
*IV. 14* ubi Paulus expressis confirmat verbis, Christum διεληλυθῆσθαι  
τὰς οὐρανούς fuisse; quod ne regerant transeundi interpretationem,  
hic obtinere, ipse *Beza* per penetrandi vocabulum transtulit, quem  
excusare *Scarpus*, sed minus, uti arbitror, efficaciter, voluit *T. 1. S.*  
*Cœna p. 1474.* ipsum non penetrationem dimensionum, sed corporis  
continui separationem (elegans penetratio; Sic quilibet penetrat!)  
intel-



intellexisse. Dein addo verba *Cham. Panst. T. II. L. VI. c. VII. §. 27. p. 108.* quibus Bellarmino respondet: *Idem dici posse hic de subtilitate, ac in precedentibus; nam sane si januas clausas, si ostium monimenti obseratum hæc subtilitas potuit penetrare, multo magis cælos, qui sunt corpora simplicissima, ideoque multo penetrabiliora.*

§. 15. Hanc nostram sententiam tum ex fundamento demonstratam, tum exemplis aliis comprobata, ex abundantia quasi similibus quibusdam illustrabimus, quæ licet non perfectæ sistant, tamen adumbrant, quo eo magis ii, qui plus rationi, quam verbo loquenti tribuunt, cum omnibus exceptionibus excludantur. Primum quod huc facere videtur, radiorum solarium est, qui sane corpora pellucida vel vitrea, attamen solida, sine omni obstaculo penetrare possunt; quod & *Cham. l. c. p. 808.* concedit; *Nam & in hoc, inquit, statum rerum aër cancellos vitreos pertransit.* Cum autem corpus Christi & nostra corpora glorificata, quibusvis Solis radiis fulgidiora futura sint, *Dan. XII. 48. 1. Cor. XV. 41. seq.* sic & non tantum pellucida, sed quævis corpora penetratura. *Matth. XXII. 30.*

§. 16. Porro non incommode huc quadrat illa ignis permeatio, qua ferrum sibi unitum penitissime penetrare solet; non enim tantum exteriora ferri penetrat, sed in totam ferri massam ita se insinuat, ut in candente ferro nulla particula restet, quam non totaliter adimpleverit, ut nulla particula ferri adsit, quæ non sit ignita, & nulla particula ignis, quæ non sit ferrea; hæc enim est natura *ἡ ἐκχώρησις*, ut ea, quæ sese permeant, permeando invicem communicent. *Vid. Ph. Sob. Meisn. part. 1. p. 80. seq.*

§. 17. Accedunt ulterius mixtionum physicarum similia; si enim aqua vinum miscetur, tunc particulae æquarum vini substantiam ita penetrant, ut planè impossibile sit, eas à vino separare. Quamvis, uti jam dictum, corporum glorificatorum & Christi penetratio hanc umbram multis parasangis post se relinquat. In his enim sæpe numero confusio penetrationem sequitur, quam tamen à Christo longè remotam scimus. Attamen ad illustrationem facere possunt. *Nihil sublime & excellens, inquit Meisn. Ph. Sob. part. 1. p. 75. occurrit in corporibus physicis, quod non excellentiori gradu reperiat in corporibus glorificatis.* Plura cumulare hic nolo.



## SECTIO TERTIA.

§. I.

**P**ergimus nunc ad ultimam dissertationis nostræ Sectionem, quæ Patrum orthodoxorum consensum exponet. Hi enim communibus calculis hanc nostram sententiam, rationi licet repugnantem, cum Scriptura tamen vere consentaneam comprobant: ut ipsi Adversarii hac mirabili Patrum harmonia commoti, herbam porrigere videantur. Sic enim Cham. erumpentem deprehendimus: *Illud certum Patres nonnullos discertè scripsisse, Dominum ingressum per januas clausas, nec velim ego sanè repugnare.* Et paulo post; *Et quia negligi non debet Veterum autoritas, respondeo non sequi: ingressus est per januas clausas &c. l.c. cap. VII. §. 18. seq. p. 107.* Prodeat itaque Antesignanus ille Patrum Augustinus, qui primum locum meretur; quique nobis multis in locis consentiens acclamat, *Serm. 156. de Temp. Quomodo eum repellere poterat objectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulchri; Imò quomodo eum obsecrata domus excludere potuerit? quem includere mortis porta non potuit. Quid mirum, si substantiam nostri corporis per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum, & solis Angelis familiare secretum patere consuevit. -- Serm. 159. Si veni, inquiens, caro fuit, quomodo resurrexit? quomodo ipsa januis clausis ad Discipulos intravit? Redde mihi rationem, ó homo! Si rationem poscis, non est mirabile; si exemplum queritur, non erit singulare, & potius recedant paulisper modus & pondus; ille hoc facit, cui nil est impossibile. Eodem Serm. Miraculum est, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS in carne vera intraverit ad Discipulos per ostia clausa. Vid. totum hunc Serm. & 160. Ne autem ulli dubium de his Augusti Sermonibus suboriri possit, quippe quorum omnium autor Augustinus non ab omnibus æque habetur; addam quædam ex libro de Agone Christiano, qui originem Augustino, nullo dubitante, debet. Sic ille cap. 14. *Nos non moveat, quod clausis ostiis subito Christum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus illud per clausa ostia intrare, omnia enim sunt possible DEO. Et Cap. 24. Post resurrectionem suam de corpore suo fecit, quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud, sicut splenderem solis, quare non potuit**



potuit & post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare. Hieronymus in Epist. ad Pammach. advers. errores Joh. Hieros. T. 2. Quod clausis Christus ingressus est ostiis, ejusdem fuit virtutis, cujus & oculis evanescere. Lyncaus, ut fabula ferunt, videbat trans parietem. Dominus clausis parietibus nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquila & vultures transmarina cadavera sentiunt; Salvator Apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mihi, acutissime Disputator, quid est majus, tantam terrae magnitudinem appendere super nihilum, & super aquarum incerta librare? An Deum transire per clausam portam? Hilarius lib. III. de Trinit. Quero ego, per quas clausa domus partes sese corporeus intulerit? Diligenter enim Evangelista expressit, dicens: Venit Iesus januis clausis & stetit &c. An constructa parietum penetrans, & solidam tignorum naturam impenetrabilem transcurrit? stetit namque corporeus non simulatus aut fallax -- Corpus Domini à se non deficit, ut sese resumat ex nihilo, & unde, qui assistit in medio, est? Cedit ad haec & sensus & sermo, & extra rationem humanam veritas est facta. Idcirco ergo ut de nativitate fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur; dicamus factum non fuisse, quia intelligentia factum non apprehendimus, & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti ipsius fides vincit: Assistit Dominus clausa domo in medio Discipulorum. Ambrosius T. IV. in c. 24. Luc. lib. 10. Habuit admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus per india septa corporibus inoffensa compage corpus Christi insertum. Et ideò mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu: Tangi facilis, difficilis estimari. Non ergo per corpoream naturam, sed per resurrectionis qualitatem impervia usu clausa penetravit. Nazianzenus in Dramate  $\chi\rho\iota\varsigma\ \acute{o}\ \pi\rho\acute{\iota}\tau\omega\nu$ : Vab! Vab! Sile, file, ecce stat Dominus januis clausis, quod reverà magnum est miraculum. Quomodo ingressus est januis clausis? Procul dubio sicut resurrexit clauso sepulchro. Chrysostomus Homil. de Bapt. Quomodo clausis ostiis intraverunt ossa & caro? Clausa sunt ostia & intrat, quem intrantem non videmus. Unde intravit, omnia clausa sunt, locus non est, per quem intret, & tamen intus est, qui intravit, & non apparet, quomodo intravit. Nescis, quomodo hoc factum sit? Des hoc potentia DEI. Justinus Martyr Quaestione 117. ad Orthod.



thod. *Sicut ambulavit in mari non mutatione corporis in Spiritum;*  
*Sic clausis ostiis ingressus, dixit: Palpate & videte: Ut ostenderet, se*  
*non mutatione corporis in Spiritum è monumento egressum, cum saxum*  
*impositum esset, & ad Discipulos clausis januis ingressum, sed cum cor-*  
*pore πνεύματος divina sua potentia, qua ea, que preter & supra natu-*  
*ram sunt, prestare potest. Plura addere nolo; supervacaneum e-*  
*nim esset; qui plura vult, adire potest Cyrillum Lib. XII. in Joh. c.*  
*53. Gregorium Nyssenum Basilii M. Fratrem, Bedam in Pf. 52. Atha-*  
*nasium T. I. Orat. V. contra Arrian. p. 334. Theodoretum Dial. 2. p.*  
*922. Euthymium, Theophylactum in hunc Johannis loc Leonem*  
*Serm. I. de Resurr. Ep. 10. 43. Gregorium Hom. 26. in Evang.*  
*Nicephorum Lib. I. Hist. Eccl. c. 34. Damasc. L. IV. de*  
*Orthod. fid. c. 19. Chrysologum Serm. 84. &c. &c.*  
*Tantum.*

## SOLI DEO GLORIA.

*Ad Eximium Dn. Respondent. Au-*  
*torem hujus disputat. Eruditissimum.*

**C***hristum qui celebras penetrantem*  
*clausa videbis,*  
*Hoc Duce, quam pateant jam quoq;*  
*cuncta Tibi.*

Gratulabundus f.

**D. Valent. Alberti.**





753962

ULB Halle 3  
001 854 02X




Sb.

2


VD 12











49 59  
EXERCITIUM THEOLOGICUM,  
Qvæstionem:  
AN CHRISTUS JANUIS  
CLAUSIS DISCIPULORUM  
CONCLAVE INTRAVERIT?

exhibens,

Quod

Vol. 20, 19

Sub præsidio

VIRI

*Maximè Reverendi Excellentissimique*

D. VALENTINI ALBERTI, PP.

Consist. Elect. & Ducal. nec non Facult.

Theol. Assessoris longè gravissimi,

*Domini Patroni, Promotoris atq; Præceptoris sanctè colendi,*

d. XX. Jun. Anni M DC XCIII.

In Auditorio Theolog.

horis consuetis

Publico examini subjiciet

Gotthardt Günther / Cygn.

Resp.

---

LIPSIAE,

Typis Viduæ JO. WITTIGAV.